# P. OVIDI NASONIS METAMORPHOSEON LIBER SEPTIMVS

## FRAVDE AC FALLACIA CONIVNX VXORIS FIDEM EXPERTVS

Narrat Cephalus, legatus Atheniensis, Phoco, Æaci, regis Æginensis, filio, de pulchro iaculo suo, a Procride coniuge, Erechthei, regis Attici, filia, sibi dono dato, quamquam eius prave probaverat fidem: is enim, cum in monte Hymetto Atticae regionis venaretur, ab Aurora dea ob speciem raptus est; quem illa, uxoris amore nimis implicatum, repudiata cum esset, Athenas remittens, ad eam cogitationem adduxit, ut de coniugis fide dubitare inciperet; pluribus itaque rebus comparatis, quibus capi posset, magis magisque sollicitus, ipse temptare constituit uxorem, num pudicitiam posset puram semper servare; specie mutata, muneribusque promissis fallacibus, mentem tandem elicuit Procridis; quod ut intellexit illa a marito se esse deceptam, pudore affecta, ut conspectum eius vitaret, altis se recondidit saltibus; at Cephalus amoris impatientia, cum eam absentem ferre non posset, precibus impetravit, ut uxor ad coniugem rediret.

‘Hoc mē, nāte deā, (quis possit crēdere ?) tēlum
flēre facit, facietque diū, sī vīvere nōbīs
fāta diū dederint ; hoc mē cum coniuge cārā
perdidit : hōc utinam caruissem mūnere semper !
Procris erat, sī forte magis pervēnit ad aurēs
Ōrīthȳia tuās, raptae soror Ōrīthȳiae.
Sī faciem mōrēsque velīs cōnferre duārum,
dīgnior ipsa rapī ! Pater hanc mihi iūnxit Erechtheus,
hanc mihi iūnxit Amor : fēlīx dīcēbar, eramque
(nōn ita dīs vīsum est, aut nunc quoque forsitan essem).
Alter agēbātur post sacra iugālia mēnsis,
cum mē cornigerīs tendentem rētia cervīs,
vertice dē summō semper flōrentis Hymēttī
lūtea māne videt pulsīs Aurōra tenebrīs,
invītumque rapit. Liceat mihi vēra referre
pāce deae : quod sit roseō spectābilis ōre,
quod teneat lūcis, teneat cōnfīnia noctis,
nectareīs quod alātur aquīs, ego Procrin amābam ;
pectore Procris erat, Procris mihi semper in ōre.
Sacra torī coitūsque novōs thalamōsque recentēs
prīmaque dēsertī referēbam foedera lectī.
Mōta dea est et : “Siste tuās, ingrāte, querellās ;
Procrin habē !” dīxit. “Quod sī mea prōvida mēns est,
nōn habuisse volēs.” Mēque illī īrāta remīsit.
Dum redeō, mēcumque deae memorāta retractō,
esse metus coepit, nē iūra iugālia coniunx
nōn bene servāsset : faciēs aetāsque iubēbat
crēdere adulterium, prohibēbant crēdere mōrēs.
Sed tamen āfueram, sed et haec erat, unde redībam,
crīminis exemplum, sed cūncta timēmus amantēs.
Quaerere, quod doleam, statuō dōnīsque pudīcam
sollicitāre fidem ; favet huīc Aurōra timōrī,
immūtatque meam (videor sēnsisse) figūram.
Palladiās ineō nōn cōgnōscendus Athēnās,
ingrediorque domum ; culpā domus ipsa carēbat,

castaque sīgna dabat, dominōque erat anxia raptō :
vix aditus per mīlle dolōs ad Erechthida factus.
Vt vīdī, obstipuī, meditātaque paene relīquī
temptāmenta fidē ; male mē, quīn vēra fatērer,
continuī ; male quīn, ut oportuit, ōscula ferrem.
Trīstis erat (sed nūlla tamen fōrmōsior illā
esse potest trīstī), dēsīderiōque dolēbat
coniugis abreptī : tū collige, quālis in illā,
Phōce, decor fuerit, quam sīc dolor ipse decēbat !
Quid referam, quotiēns temptāmina nostra pudīcī
reppulerint mōrēs, quotiēns : “Ego”, dīxerit, “ūnī
servor ; ubicumque est, ūnī mea gaudia servō.”
Cuī nōn ista fidē satis experientia sānō
magna foret ? Nōn sum contentus, et in mea pūgnō
vulnera, dum cēnsūs dare mē prō nocte pacīscor,
mūneraque augendō tandem dubitāre coēgī.
Exclāmō male victor : “Ego, ēn, ego fictus adulter !
Vērus eram coniunx ! Mē, perfida, teste tenēris.”
Illa nihil ; tacitō tantummodo victa pudōre
īnsidiōsa malō cum coniuge līmina fūgit ;
offēnsāque meī genus omne perōsa virōrum
montibus errābat, studiīs operāta Diānae.
Tum mihi dēsertō violentior īgnis ad ossa
pervenit : ōrābam veniam, et peccāsse fatēbar
et potuisse datīs similī succumbere culpae
mē quoque mūneribus, sī mūnera tanta darentur.
Haec mihi cōnfessō, laesum prius ulta pudōrem,
redditur, et dulcēs concorditer exigit annōs.’